



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.D.XXXVI. Sancti Patris Benedicti. M.L.VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

femotis, libenter indneretur. Semel Lugdunensis Cænobij, Parisiensis autem quinquies, Prioris nomine Magistratum gessit. Provincialis etiam, ut sacri vocamus, munere ornatus anoneratus, Parisiensis insuper amplissimæ Dioceseos Monasteriorum Visitator, ab Episcopo designatus, honores illos ut summâ utilitate, sic infimâ humilitate, præclarissimè gessit, ipsiq; ornameto fuit, oblatam Episcopatus præcipuam dignitatem, ut admitteret, persuaderi nulla ratione potuit, seu generosissimo animo, & constantissime recusavit. Eum magni fecit Ludovicus XII. Galliarum Rex, & præcipuè coluit, multa illi arcana detexit, & interdum animi sordes, peculiarari confessione apud ipsum egressit. Obijt Parisijs cum magna sanctitatis opinione hoc anno, in Capitulo ibidem tumultus. *Ex Historia Celestina. Hugone Monardo &c.*

IESU CHRISTI ANNI S.M.D.XXXVI.

Sancti Paris Benedicti. M. L. VI.

Anglia, innumeris olim sanctorum Benedictini Ordinis Confessorum manipulis florentissima sub Apostata Regis Henrici octavi truculentissimo Imperio, gloriosissimorum vicissim Martyrum Triumphis redditur fecundissima, tam pretiosâ nimirum sanguinis inundatione impinguita. Memorat Chrysostomus Henriquezitus, ex sola sacra Cisterciensis Congregatione nostra, innumerable Religiosos propter fidem crudeliter interemptos, quorum, inquit, nomina novit ille, qui coronâ immortalitatis milites suos in æterna patria glorificat, ut ex hoc ipso pateat, quanta victimarum Deo sacrarum ex alijs nostri Ordinis familijs, multitudo ceciderit, & ex Congregatione maximè Nigrorum sive Cluniacensium, cum horum Monasterijs Anglia, Scotia, Hibernia plenissimæ fuerint, eademque viris Religiosis Virginibus longè frequentissima, omnia omnino pessumdante singulari fero illo & Apro turpissimo, omneque inde aurum & argentum rapiente, & in suos usus sacrilegè converte. Cæterum, Lanienam quod attingit, alios inter hoc ipso anno Richardus Wohintingius, celeberrimi illius Glastenburiensis Cænobij Abbas cum

vero Christi Vicario fidelitatem abrenunciare constanter renueret, & creatum à se ipso Ecclesia caput Henricum Regem adorare una cum Fratribus quos secum adduxerat, Joanne Torne, & Rogero Jacobo, absque ulla misericordia cum ipsdem ad supplicium raptus, in patibulo suspensus, inde semivivus depositus, & in quatuor sectus partes, glorioso Martyrio est consummatus; cæteris pari constantiâ supplicium idem subeuntibus. Simili omnino morte, & coronâ eodem anno digni à Deo habiti sunt duo alij Abbates Reverendissimi Wahlhenfis & Saulienfis, & Guilelmus Hadoe & ipse Wahlhenfis Asecta, ita ut nullo unquam sæculo (quod ex Annalibus nostris Benedictinis liquet) nostrorum, desideraretur magnanimitas & Generositas, ad Fidem Catholicam etiam cum proprio sanguine asserendam & consignandam, quorum hic exempla paucissima pro sexcentis producimus, ut etiam perditissimo hoc ævo incomparabilem ex tot Martyrum triumphis Ordinis nostri & Benedicti in suis Redivivi gloriam celebremus. Pari felicitate coronas & laureas similes consequuti, duo alij etiam Abbates, Riverienfis & Fontanenfis, ut ex una unius anni dignissima fertilitate, cæterorum etiam copiam facile metiaris, & ab exemplis tot Abbatum, piam tot Conventuum & Religiosorum Cætuum æmulationem & ad supplicia eadem præparationem poteris æstimare. Sed præ omnium constantia enituit imperterritus atque insuperabilis Vitiugi nostri Glasconiensis Anastitis animus, qui qua erat eruditione, eloquentia & auctoritate, velut murum pro Domo Dei impijssimi sese Regis conatibus, & contra Ecclesiasticam libertatem Sacrilegjs opposuit. De cuius, ut & Hugonis Feringdoni, Redingensis, & Joannis Beci Cloceitrensis Abbatum, nec non Ruggi, Ononique Monachorum Presbyterorum gloriosissimo agone & morte, consulendus Clemens noster Reimerus, in Apostolatu Benedictino Angliæ.

Extinguitur hoc ipso anno expectatissima sibi morte Beata memoria R. P. Petrus de Burgos, intimus quondam Amicus, & velut alter Achatas Viri sanctissimi Garzia de Ciferos Con-

Socij eiusdem Martij.

Duo alij Abbates Martyres.

Vitiugus Glasconiensis Abbas.

Plures alij.

Ven. Petrus de Burgos Montserrat obiit.

Magni fir  
id. e. Lud.  
XII.

Martyres  
in Angliæ.

Richardus  
Abbas &  
Martij.



Congregationis Hispanicae Instituto-  
ris & Abbatis Montserratensis, cui eti-  
am post sanctae recordationis Petrum  
de Nunnottz in Abbacia successit, Gar-  
ziam spiritu & merito proximè asse-  
quutus, & plurimis per Hispanias re-  
formatis Monasterijs longè meritissi-  
mus, cujus dolemus res gestas à viris  
illius Archisterij Religiosissimis mini-  
mè describi vel suis solum scriptori-  
bus reservari, & non magis pro exemp-  
lo Toti Ordini imitanda proponi. *Videatur*

*Ant. de Jeyes &c.*

*Patres So-* Reverendi Patres Societatis JESU  
*cietas ter-* institutores primi, tertium jam, & qui-  
*tium pro-* dem semper decimo octavo Calend.  
*festione* Septemb. solemnissimo gloriosissimæ  
*apud no-* in cœlis Assumptæ cœlorum Augustæ  
*stros emi-* Lutetiæ Parisiorum, in eodem, quo  
*ssim.* ante annum, & biennium, celeberrimo  
Montis Martyrum Benedictini Or-  
dinis Canobio, suæ Religiosæ Vitæ  
Professionem faciunt; paulo post in di-  
versas Europæ provincias à sanctissimo  
suo Instituto bono publico destina-  
ti. *Ribadeneira in vita S. Jgnatij. &c.*

*V. Joan.* In Germania insigne iterum sydus  
*Abbas Ab-* extinguitur, Beatae memoriæ Joannes  
*dinckho-* de Suiato Abdinckhofensis in civitate  
*senfis.* Paderbornensi Abbas meritissimus,  
Henrici de Peynis viri non minus sancti  
successor dignissimus, Zeliqve Reli-  
giosi ac omnium Virtutum ex asse-  
quali hæres, Reformationis Monachi-  
cæ promotor meritissimus, qui non  
absque opinione absolutissimæ sancti-  
tatis ex hac vita migravit sexto Jduum  
Aprilis, ad cujus tumulum energumena  
mirè liberata fuit. Successit haud  
impari Vitæ laude, & mirandæ insu-  
per eruditionis Vir Theodoricus Ru-  
ræmontensis. *Ex Monim. ejusdem Canobij.*

*Guilhel-*  
*mus abb.*  
*Laubi enfis.*

Nec minoris Virtutis & scientiæ  
Vir, hoc ipso anno mortalitatem ex-  
iit, Guilielmus Cordier ex Asceta &  
Thesaurario S. Gisleni Abbas Laubi-  
ensis & ipse in promovenda sanctis-  
sima reformatione laboriosissimus, de-  
que Ordine optimè meritus, cui Gui-  
lielmus Caulier successit ex Archiste-  
rio Belgij S. Vedasti postulatus.

IESU CHRISTI ANNUS. M.D. XXXVII  
Sancti Patris Benedicti. M. LVII.

**R**ecurrit denuo ad universalem  
Religiosorum omnium Patriar-  
cham Divum B E N E D I C T U M san-

ctissimus laudabilissima Societatis JE-  
su Institutore Jgnatius Loiola, & ad  
sacrum ejus corpus venerandum, Ro-  
mâ Casinum peregrinatus, & mirâ lo-  
ci sanctitate captus atque retentus, ar-  
dentissimis votis & precibus præfato  
loci Fundatori & Tutelari supplicans, mag-  
nis eodem intercedente gratijs à Nu-  
mine donatus, eo ipso in monte, in  
quo Magnus ille Monachorum Legum-  
lator, Jgnatius quoque tuas Regulas  
meditatus est. Ubi, uti antea, pri-  
mum in Hispanijs, postea in Gallijs à

Explicuit  
summo  
nostrorum  
plausu.

Nostris susceptus perbenignè est, &  
summa cum reverentia & charitate  
verèque Benedictinâ hospitalitate tra-  
ctatus; ita etiam in Italia, in Casinate  
Monasteriorum Europæ omniû Prin-  
cipe, non aliter atque Angelus cœlo  
descendens susceptus, omnibusque in-  
tima & pluraquam familiaris & frater-  
næ charitatis officijs amantissimè ha-  
bitus, in Oratorio Sanctæ Mariæ de  
Albanetâ accommodatus, familiaris-  
simos meruit, viros Religiosissimos,  
& doctissimos Fratres Angelum Ric-  
cam, Benedictum Canophilum & Gre-  
gorium de Pisonibus, quibus omnia  
sui animi sensa explicans, seque ipsum  
expectorans, illos rerum suarum ar-  
bitros exoravit, eorumdemque auxi-  
lio & consilio, suas Regulas, aspiran-  
te pijs ipsorum conatibus Numine, con-  
scripsit; è quibus deinceps, tanta in suæ  
Societatis Religiosos, & ab his in or-  
bem terrarum universum bonorum  
& donorum affluentia, sese effudit.

*In B. M. P.*  
*de Albore-*  
*ta accom-*  
*modatur.*  
*ibi Regulâ*  
*scripsit.*

*Ita Monumenta Casinatis Archisterij.*  
*Marcus Ant. Scipio, Constant. Caieta-*  
*nius &c.*

Meruit & aliam in eodem sanctis-  
simo Monte idem Sanctissimus Vir,  
Jgnatius gratiam, repetito in eodem  
[ex parte] ipsiusmet Sancti Patris Be-  
nedicti miraculo, quo iite S. Germani  
Capuani Episcopi animam in Sphæra  
igneâ in cœlum portari è Cellula sua  
Casinate, conspexerat; Jgnatio simili-  
ter R. P. Hozij Patavij (quo ipsum cum  
Patre Joanne Codurio Jgnatius desti-  
naverat) defuncti animum, clarissi-  
mâ luce circumfusum, inque cœlum  
penetrantem, conspiciente, & Hozij  
animum esse cognoscente. Pergit rem  
miram enarrare Casini gestam Riba-  
deneira, hisce verbis: *Deinde etiam cum*  
*rei sacra daret operam, & in Generali Con-*  
*fessione*

*P. Hozij*  
*animum*  
*ad Cœlos*  
*ferrî intue-*  
*itur;*